

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica IX. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

Qui enim voluntatem Dei faciunt, exaudientur, Joh. 9. v. 31. fratres Christi erunt, Hebr. 2. v. 11. & habebunt vitam æternam, Joh. 6. v. 47. Ibi voluntatem Dei in summa

perfectione faciemus, seruientes Deo, die ac nocte in templo ejus, Apoc. 7. v. 15. Quod Deus ex gratia nobis omnibus propter Christum largiatur, Amen.

DOMINICA IX. POST TRINIT.

Evangelium Luc. 16. v. 1 -- 9.

EXORDIUM.

Vidit Vates Zacharias in visione virum, in cujus manu funiculus menforum, quem cum interrogaret: quò tu vadis? dixit ad illum: Ut metiar Jerusalem, & videam, quanta sit latitudo ejus, & quanta longitudo ejus, Zach. 2. v. 1.

Hæc allegoricè interpretanda veniunt. Vir, qui Prophætæ visus, est Dominus Deus noster, qui omnia dinumeravit & mensus est, Sir. 1. v. 9, quin adhuc hodiè metitur, non modò Jerusalem, sed & omnium hominum verba & opera, imò & gressus considerat, Prov. 5. v. 21. normâ mandatorum suorum, quæ nobis præscripsit, ut vitam ad eam componamus. Nam qui hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia Dei, Gal. 6. v. 16. quod verò cum eâ non consentit, sed declinat in curvas vias peccatorum, Psal. 125. v. 5. aut ad dexteram, aut ad sinistram, Esa. 30. v. 21. est *avopia*, illegalitas, 1. Joh. 3. v. 4. nec Deo placebit, Psal. 5. v. 5. Propterea aliquando dicitur: Redde rationem villicationis tuæ! Cuncta enim quæ fiunt, adducet Deus in judicium, etiam omne occultum, sive bonum sive malum sit, Eccl. 12. vers. ult. ita ut etiam ratio red-

denda sit, de quovis verbo otioso, Matth. 12. v. 36.

Sicut igitur Zacharias levavit oculos suos, & vidit virum, in cujus manu funiculus menforum fuit: Sic idem & nos faciamus, ut cogitationibus semper intenti simus in eum, qui oculos suos nunquam non in nos conjicit, & accuratè observat, quid agamus, quid loquamur, quid cogitemus: nam & cogitationes nostras de longè intelligit, Psal. 139. v. 3. sic eò cautius ambulabimus, Eph. 5. v. 15. & in æternum non peccabimus, Sir. 7. v. 40.

Id villicus non observavit, de quo in prælectâ Pericope dicitur: quod dissipaverit Domini sui bona: ex hæc ipsa causa quoque ab officio remotus.

Nos instituti nostri memores videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

Sicut homines ab araneâ artem texendi, & à cornicibus, corvis & graculis do-

mus edificare: quinimò, sicut nobis mandatur, ut à serpentibus prudentiam, & à columbis simplicitatem discamus, Matth. 10. v. 16. Ita Servator nobis in iniquo villico exemplum proposuit, & simul ostendit, quomodo prudentiam & versutiam, quâ ille in temporalibus usus est, in rebus salutem nostram concernentibus, adhibere studiosè debeamus, ne pueri efficiamur sensibus, sed malitia parvuli simus, sensibus autem perfecti, 1. Cor. 14. v. 20.

Querela respicit

I. Iniquam dispensationem, propter quam iniquus hic Villicus apud Dominum diffamatus, & ab officio remotus fuit. Sed & multos fratres reliquit ille post se in immundo hoc mundo. Pecunia enim ad multa mala perducit. *Geld macht Schâdel.* Judas erat vir honestus, qui nullo malo infamis erat, cum Dominus ipsum ad Apostolatam adhiberet: verùm simulac quæstorem eum constitueret, pecuniam in proprium commodum vertebat, fur factus, Johan. 12. v. 6. Unde Proverbium enatum: *Occasio facit furem.* Sicut adhuc hodie multi administratores bona Dominorum suorum in suum emolumentum convertunt, & ex eorum incommodis sua comparant commoda. Ast, infelici cum successu! Divitias enim, quas devoravit injustus, evomet, & de ventre illius extrahet eas Deus, Job. 20. v. 15.

Huc & illi pertinent, qui eleemosynis præsumunt, quibus pauperes in nosocomiis aluntur, nec verentur hinc inde detrahere, ut in bonis his conviventur. Hoc nefandum peccatum est. Panis egentium, vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est, Sir. 34. v. 25.

Idem & tutores facere non dubitant, qui pupillorum bona sub prætextu amicitia ad se pertrahunt, & rationem reddere jussi, judicio contendunt, cum illis sic pupillos tandem fatigant, ut nihil reliqui habeant, nisi suspiria, quæ ad cælum, & justum judicem Deum ablegant. Non immeritò illi in Germanica linguâ vocantur *Vormünder* / quia orphanis detestis, bolum è faucibus eripiunt, *weil sie ihnen das Brod gleichsam vorm Mund wegnehmen.* Verùm in fine tandem os illorum implebitur calculo, ut in inferno tandem illum concoquere cogantur. Maledictus, qui pervertit judicium advenæ, pupilli, & viduæ: & dicet omnis populus, Amen, Deut. 27. v. 19.

Inter famulitia quoque inveniuntur iniqui dispensatores, qui nimis profuse sumtum faciunt, de illis, quæ ipsis concreduntur: sunt tardi ad labores, alacres vero ad mensam, mercenarii, qui mercedem, non Domini commodum quærunt, objugati contradicunt, Tit. 2. v. 10. vel planè aufugiunt, ut Hagar, Gen. 16. v. 7. Sed hi servi nequam sunt, quos Dominus aliquando dividet, Luc. 12. v. 46.

Exemplum itaque capite ab iniquo hoc Villico: sicut enim ille à Domino creatus, & ab administratione remotus est: Ita Dominus eos non impunè dimittet, qui bona concredita injustè administrant. Justus enim judex est, & Deus minitans per singulos dies. Nisi conversi fueritis, gladius suum acuit, arcum suum retendit, & ad apravit illum. Et in eo paravit vasa mortis: sagittas suas ad persequendum paravit, Psal. 7. v. 12.

II. *Oris seltationem.* Hic audimus dispensationem.

bbb

penfa

penfatorem ingenuè confitentem: Fodere non valeo. Otio namque & ignavia adfuetus erat, ideò non aridebat ipfi, ut jam demùm in provec̄tâ tate, fodiendo, pafinando, trititando, & id genus aliis moleftis laboribus victum & amictum fibi acquireret.

Verùm pios Christianos non pudeat laboris, qui cuique demenfus est, Ecclef. 6. v. 7, fed cogitent, ruficationem creatam effe ab Altiffimo, Sir. 7. v. 16.

Moveat nos cum magna utilitas, quæ laborem confequitur: Manus enim fedulorū divitias parat, Prov. 10. 4. c. 13. 4. tūm & dulcis quies, quæ fequitur: Dulcis est operanti fomnus, five parum, five multum comedat, Eccl. 5. v. 11.

Tūm etiam ingens damnū, quod otium pōft fe trahit. Unde Siracides: Multam malitiam docuit otiofitas, c. 33. v. 28. Utrique multam malitiam. Verè enim Chryfoftomus: *Nihil boni facere, hoc ipfum eſt malum facere.* Ita enim comparatum eſt hominis cor, ut ſemper occupatum eſſe velit: Si nihil boni, malum operatur. Sicut molendinum, niſi frumentum molat, ſeipſum conſumit: ſic & homo, qui otio mancipavit ſe, ſeipſum in malum præcipitat. Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus tuas, ut dormias: & veniet tibi, quaſi viator, egeſtas: & pauperies, quaſi vir armatus, Prov. 6. v. 10.

Patriarcha Jacobus, ſanctorum non poſtremus fuit, tamen laborare minus erubuit, diu noctuque aſtu urgebatur, geluque, fugiebatque ſomnus ab oculis ejus: propterea benedixit ipſi Deus, ut magnas divitias comparaverit, & fratri ſuo Elavo

quingenta & quadraginta pecora donare potuerit, Gen. 32. v. 15.

Gideon excuſſit atque purgavit frumenta in areâ, Jud. 6. v. 11. Paulus in labore & in fatigatione nocte ac die operatus eſt, ne quem gravaret, 2. Theſſ. 3. v. 8. Chriſtus ipſe Patri putativo in opere fabrili adiutor fuit, unde non modò filius fabri, Matth. 13. v. 55. ſed & faber dicitur, Marc. 6. v. 3.

Eccur igitur nos laborem ſubterfugeremus, quilibet in vocatione eâ, ſicut vocavit eum Dominus? 1. Cor. 7. v. 17. Si quis non vult operari, nec manducet, 2. Theſſ. 3. v. 10.

III. *Verſutia ſecularis contemplationem.* Iniquus hic villicus ex tempore fallaciam fingit, quâ ratione vitam ſuſtentare velit, ſi ab officio deponatur.

Idem adhuc hodiè videmus in filiis ſeculi, quod fidelibus hâc in parte palmam præripiant. Inveni ſunt in populo meo impii, inſidiantes, quaſi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Sicut cavea plena avibus, ſic domus eorum plenæ dolo, inquit Jeremias c. 5. v. 26.

Egyptii id machinabantur, quomodo ſapienter opprimerent Iſraelitas, Exod. 1. v. 9. Achitophel, tantâ mentis acie pollebat, ut nemo ipſi ſimilis eſſet, tempore ſuo conſilium ejus erat, quaſi ſi quis conſuleret Deum, 2. Sam. 16. v. ult.

Quod ſi animum & oculos mittimus per omnes ſtatus, nemo inſicias ibit, quin multæ ſint inſidiæ dolofi, Sir. 11. v. 31.

Antonius pius ille Anachoreta, vidit aliquando in viſione, totum orbem reſtibus operatum, & exclamavit: O Domine, quis evadet? Viſio hæc quidem fuit, quæ

tamen

tamen reapse vera est: Impius enim cum venit iustum, Hab. 1. v. 4. nec religio ipsi est, si possideat in argento egenos & pauperes pro calceamentis, & quisquiliis frumenti vendere possit, Amos 8. v. 6. ut non injuriâ queratur Jeremias: Omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus proditoriè incedet, c. 9. v. 4. Verum non est sapientia nequitiae disciplina, & non est cogitatus peccatorum prudentia. Est nequitia & in ipsa execratio & c. Sir. 19. v. 19. seqq.

Nos abstineamus ab hâc malitia. Et quemadmodum filii hujus seculi versutiâ suâ ad malum abutuntur: ita nos operam demus, quomodo cautè ambulemus, non quasi insipientes, sed ut sapientes: redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, Eph. 5. v. 15. 16.

Cum Pambo pius ille Eremita, consilio Athanasii è solitudine Alexandriam accessisset, ibique scortum venustissimè ornatum conspiceret, largissimas profundeabat lacrymas: Causam rogatus, dixit: Nonne lacrymas emitterem? Ego tantam curam non habeo placendi Deo, quàm hâc mulier habet placendi hominibus.

Ubi hodiè ejusmodi Pambones reperies? Plerique terrena sapiunt, Phil. 3. v. 19. & cum Demâ hoc seculum diligunt, 2. Timoth. 4. v. 9. Attamen paucos qui frugi sunt, existere confidimus, qui seculi connatae admoniti, cum Pambone apud se ipsos lacrymentur, quando perpendunt, multos reperiri, tantam curam non impendentes ad cælum consequendum, ut impii faciunt ad infernum acquirendum. Quilibet hîc cautè agat. Nam mundus transit, & concupiscentia ejus, qui autem facit

voluntatem Dei, manet in æternum, 1. Joh. 2. v. 17.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fluit
S 1. *Ex divina liberalitate*, de quâ Servator: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Hic Dominus est, dives in omnibus, qui invocant ipsum, Rom. 10. v. 12. à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum descendit, Jac. 1. v. 17. Cæli cælorum Domino: terram autem dedit filiis hominum, Psal. 115. v. 16. & præstat nobis omnia abundè ad fruendum, 1. Tim. 6. v. 17. coronat annum benignitate sua, Psal. 65. v. 12. aperit catarractas cæli, & effundit benedictionem, usque ad abundantiam, Mal. 3. v. 10. ut non destituamur ullo bono, Psal. 34. v. 11. Agnoscamus hoc grato animo, dicentes cum Davide: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus, Psal. 103. v. 1. seqq.

In Papatu sanctos demortuos invocant, & cuilibet certa sparta assignata est, quæ in re opem ferre debeat. In mortis periculo S. Rochus, in aquæ discrimine S. Nicolaus invocatur, S. Catharina de sapientiâ, S. Urbanus de commodâ temperie, S. Margareta de felici partu, S. Dorothea de divitiis compellatur, & ita ulterius. Verùm nefas hoc est. Deus solus invocandus est, exaudis orationem, ad te omnis caro veniet, ait David, Psal. 65. v. 3. Abraham nescit nos, & Israel ignorat nos; Tu Domine, Pater noster, Redemptor noster, à seculo nomen tuum, Esa. 63. v. 16.

Quibusenque igitur indigneritis, siue sint spiritualia, siue corporalia, siue cœlestia bona, ab hoc Domino eapete, dat enim simpliciter, & non impropere, Jac. 1. v. 5. Quin quò plus dat, eò plus dare potest. Est enim supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, Ephes. 1. v. 18. & ejusmodi divitiarum altitudo, quæ nunquam exhaustiri potest, Rom. 11. v. 33.

II. *Ex piorum dignitate*, quos Christus hîc vocat filios lucis.

Naturâ tenebræ sumus, Eph. 4. v. 18. ob peccata, in quibus concepti & nati sumus, Psal. 51. v. 6. quæ etiam fraude Satanæ, & seductione corruptæ carnis, indies cumulamur, ut nemo dicere valeat: Mundum est cor meum, purus sum à peccato, Prov. 20. v. 9. volentibus enim bonum facere, malum adjacet, Rom. 7. v. 22.

Sicut igitur peccata opera tenebrarum vocantur, Rom. 13. v. 12. ita illi, qui illis dediti sunt, meritò filii tenebrarum accensendi sunt, quia in operibus tenebrarum delectantur, quæ ad Principis tenebrarum voluntatem perpetrant, unde etiam aliquando partem suam habebunt in tenebris exterioribus, ubi erit fletus & stridor dentium, Matth. 22. v. 13.

Verùm Christo acceptum feramus, quod jam filii lucis, imò lux in Domino sumus, Eph. 5. v. 8. Eripuit enim nos de potestate tenebrarum, & fecit nos idoneos in partem sortis Sanctorum in lumine, Col. 1. v. 12.

Agnoscamus hoc, ut in ejus honorem in luce quoque ambulemus, Johan. 1. v. 6. seqq. Christus Servator noster est lux mundi, Joh. 8. v. 12. & Sol justitiæ, Mal. 4. v. 2. Sicut igitur ab illo Christiani dici-

mur, Act. 11. v. 26. Sic lucere studeamus, sicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque perversæ, Phil. 2. v. 16. Sic aliquando ad eum pervenimus eò, ubi non occidet Sol ultra, & Luna non minuetur, Esa. 60. v. 20. Sed Dominus electis suis erit in lucem sempiternam, & nos ipsi fulgebimus sicut Sol in Regno Patris, Matth. 13. v. 34. & ut stellæ in perpetuas æternitates, Dan. 12. v. 3.

III. *Ex beneficentia utilitate*. Suscipiunt enim pauperes benefactores suos in æterna tabernacula. Eterna illa tabernacula sunt Regnum cœlorum, siue vita æterna, quam Deus daturus est his, qui fidem suam nunquam mutant ab eo, Tob. 2. v. 8. Quando igitur hîc de pauperibus dicitur, quod benefactores suos suscipiant in æterna tabernacula, non ita hoc capiendum est, quasi elemosynis nostris cœlum promereri possemus, aut, pauperes cœlum in manibus habeant, ut idem largiri possint, quibus vellent. Hoc sensu minimè hoc intelligendum est. Christus enim cœlum nobis promeritus est, & per meritum ejus & pauperes & divites ingrediuntur: non enim in aliquo alio salus, nec aliud nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo possent salvari, Act. 4. v. 12.

Intereâ tamen *certo modo* pauperes nos suscipiunt in æterna tabernacula, quando sedulo orant pro benefactoribus suis, sicut Abraham pro hospite suo Rege Abimelech intercessit, ut non modò sanitati restitutus, sed & civis veræ Ecclesiæ factus, Gen. 20. v. 17. Die ultimo surgent, & elemosynas illas, quas acceperunt, coràm Domino publicè enarrabunt, Sir. 31. v. 11.

Ubi

Ubi Servator respondendo dicit: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Venite benedicti Patris mei, hereditario accipite paratum vobis Regnum à constitutione mundi, Matth. 25. v. 34. 40.

Videte, ô optimi! Hâc ratione pauperes, quibus bona nostra erogamus, suscipiunt nos in aeterna tabernacula, ita ut opulenti vitam aeternam in pauperum ædibus quasi quætere possint. Quilibet proinde videat, ut bonis sibi suis multos amicos conciliet, qui beneficentiæ ejus publicum testimonium præbere possint, die ultimo. Melius elemosynas collocare non possumus, quam si cælestia recuperemus pro terrenis, & aeterna pro temporalibus. In hoc nanque mundo habitamus in domibus luteis, Job. 4. v. 20. ubi mors ascendit per fenestras nostras, Jer. 9. v. 21. ibi verò felicissima vicissitudo nobis obtinget, & in aeterna tabernacula suscipiemur, ubi non accidet nobis malum, nec plaga appropinquabit tabernaculo nostro, Psal. 91. v. 10. sed lætitia sempiterna erit super caput nostrum, gaudium & lætitiâ obtinebimus, & fugiet dolor & gemitus, Esa. 35. v. ult.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur regulis, ut sunt

I. *Fidelem te præsta.* Omnes enim dispensatores sumus, multiformis gratiæ Dei, 1. Petr. 4. v. 10. & quæcunque spiritualium & corporalium bonorum possidemus, non peculium nostrum sunt, sed feudum super quo nos Dominus dispensatores & œconomos constituit, unde etiam hæredi-

tarius omnium gentium dicitur, Psal. 82. v. ult.

Jam verò nihil magis requiritur in dispensatoribus, quàm ut fidelis quis inveniat, 1. Cor. 4. v. 2. Ita igitur bona concredita nobis administranda veniunt, quò aliquando coràm tribunali ejus rationem reddere valeamus. Nam unusquisque nostrum pro serationem reddet Deo, Rom. 14. v. 12. ut referat, prout gessit, sive bonum sive malum, 2. Cor. 5. v. 10.

Deus nobis concredidit *animam rationalem*, quæ immortalis est, Eccles. 12. v. 7. Hujus ante omnia rationem habeamus, ne perdamus eam, Matth. 16. v. 26.

Subdidit Deus fidei nostræ *corpus benè dispositum*, membris distinctis exornatum, quæ omnia peculiare easque necessarias functiones sustinent, ut nullum alteri dicere possit, opera tua non indigeo, 1. Cor. 12. v. 21. exhibeamus ergò illa servire justitiæ in sanctificationem, Rom. 6. v. 20. nec ex membris Christi faciamus membra hæreticis, 1. Cor. 6. v. 15.

Deus nobis concredidit *bona temporalia*, frumentum, & vinum, & oleum, argentum & aurum, Os. 2. v. 8. nudi enim egredimur ex utero matris, nihil inferentes in hunc mundum, 1. Tim. 6. v. 7. Quicumque igitur honestè divitias possidet, is benedictionem hanc à Deo habet, quæ divites facit, quamvis non addatur labor, Prov. 10. v. 22. & implet omne animal beneplacito, Psal. 145. v. 16.

Quod si igitur & hâc in parte fideles dispensatores esse velimus, ante omnia honoremus Dominum de substantia nostra, h. e. ad cultum Dei, & sustentationem pauperum erogemus, Prov. 3. vers. 10.

bbb 3

Dein-

Deinde & carnis curam non faciamus ad desideria, Rom. 13. v. ult. & Tertio liberis thesaurizemus, 2. Cor. 12. v. 14. qui hoc non facit, fidem negavit, & est infideli deterior, 1. Tim. 5. v. 8.

Deus nobis dedit Filium suum unigenitum, cum omnibus beneficiis illis, quæ nobis sanctissimo merito suo acquisivit. Nam ab ipso habemus verbum & Sacramenta, sicut & fidem, spem, caritatem, & varias virtutes, quas per illa in nobis operatur: sicut & se pro nobis tradidit, in tribulationem ad consolandum, quo misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, Hebr. 2. v. 17. 18. in mortem ad redimendum, Os. 13. v. 14. in vitam ad reficiendum, Matth. 11. v. 28. in æternam glorificationem ad perfevendum, Phil. 3. v. 21. Breviter: opus ejus est, ut credamus, Joh. 6. v. 29. gratia, ut justificemur, Rom. 3. v. 24. donum, ut salvemur, Eph. 2. v. 8. sine ipso facere nihil possumus, Joh. 15. v. 5.

Videamus proinde ne Christo resistamus, sed refectionem oblatam grato animo suscipiamus. Qui enim Christum cum Evangelio contemnit, spernit consilium Dei adversus seipsum, Luc. 7. v. 30.

Sic etiam à Domino hoc est, ut hic sit Ecclesiastes, ille Magistratus, iste Paterfamilias. Verbi Præcones non ex seipsis sufficientes sunt, sed sufficientia eorum ex Deo est, qui eos idoneos fecit ministros N. T. 2. Cor. 3. v. 5. In manu quoque Dei est potestas terræ, qui utilem rectorem suscitatur in tempus super illam, Sir. 10. v. 4. & ut primos conjuges initiavit, ita adhuc illos copulat, Prov. 19. v. 14. & facit sterilem matrem filiorum lætantem, Psal. 113. v. ult. benedicitque timentibus eum, ut labores

manuum suarum manducent, Psal. 128. v. 1. seqq. Ideo necesse est, ut vicissim ipsi fideles simus, servientes ei, in justitia & sanctitate coram ipso, Luc. 1. v. 74. Quilibet in functione eâ, in quâ à Deo collocatus est. Quando ita Domino fideles sumus in dispensatione nostrâ, ipse vicissim fidelis erit in promissionibus suis, ut de omnibus verbis bonis, quæ se Dominus præstiturum esse pollicitus est, unum non præterierit incassum, Jos. 23. v. 14. Tandem dicet nobis: Euge serve bone &c. Matth. 25. v. 23.

II. Citationem considera. Hic audimus, divitem hunc hominem, villicum suum severè citare, ubi apud eum diffamatur, & rationem ab illo requirere. Idem singulis nobis eveniet, die novissimo, quem statuit Deus, judicaturus orbem in justitia, Act. 17. v. 31. ibi nemo se subducat, judex enim erit judex universæ carnis, Esa. 66. v. 16. omnesque gentes congregabit ad tribunal suum, Matth. 25. v. 31. ut unicuique reddat, secundum vias suas, & secundum fructum adventionum ejus, Jer. 32. v. 19.

Ibi diceretur: Redde rationem villicationis tuæ, qualiscunque tandem fueris, sive verbi Minister, sive Magistratus, sive paterfamilias!

O quantus terror, quanta consternatio invadet tunc eos, qui iniquè bona Domini dispensarunt, & cum injusto villico illa dissiparunt! Coram judice enim hoc nihil abscondetur, quia omniscius est, Joh. 16. v. 9. Job. 13. v. 9. nemo illum effugiet, quia omnipræsens est, & dominatur in medio inimicorum, Psal. 110. v. 2. Nemo ipsi refragabitur & contradicet. Est enim omnipotens, furor hominum est laus ejus,

ejus, reliquis furoris accinger se, Psalm. 76. v. 11.

Veri proindè Christiani cum timore & tremore salutem suam operentur, Phil. 2. v. 12. nullumque prætermittant diem, nullam horam, imò nullum momentum, quo ultimam hanc rationem non reminiscantur, eamque hîc in tempore gratiæ ita adornent, ut digni avadant stare coràm Filio hominis, nec confundantur in iudicio ejus, Luc. 21. v. 37.

III. *Quid agendum delibera.* Hîc audimus, iniquum villicum continuò deliberare fecum, ubi à Domino citatur, & dicere: Quid faciam? Fodere non valeo, medicare erubescio, scio quid faciam.

Discamus hoc ab ipso, ut in tempore gratiæ quæramus: Quid faciam, cum surrexerit Dominus ad iudicandum? Job. 31. v. 14.

Sic multi venerunt ad Baptistam, quærentes: Quid faciemus? Venerunt Publicani, dicentes: quid faciemus? Interrogarunt milites dicentes: Quid faciemus & nos? Luc. 3. v. 12. 14.

Sic cum Judæi ad concionem Petri condecompungerentur, dixerunt: quid faciemus, viri fratres? Act. 2. v. 39.

Hoc ideò consignatum est nobis, ut quilibet, quando peccavit, in se descendere debeat, dicens: quid faciam? Tum Spiritus sanctus reponet: Age pœnitentiam, fac fructus pœnitentiæ dignos, Matth. 3. v. 28.

Quando verò diem salutis in securitate & impœnitentiâ prætermittimus, deindè non multùm proderit, licet dicamus: Quid faciemus? Hîc vox pœnitentis est, quâ peccata nostra dolemus, & de medijs solliciti

sumus, quibus illa aboleamus: sicut Saulus quærebat, cum illum Christus Damasco vicinum prosterneret: Quis es Domine? Quid me vis facere? Act. 9. v. 6. Sed ibi erit vox desperantis, ubi damnati, in inferno lamentabuntur, dicturi: O dolorem! O cruciarum! ô miseriam! Quid hîc faciemus in flammâ infernali? Luc. 16. v. 24. Quid faciemus, in tenebris exterioribus? Matth. 22. v. 13. Quid faciemus, in puteo, in quo non est aqua? Zach. 9. v. 11. sed ignis & ligna multa; status Domini, sicut torrens sulphuris, succendens eam, Esa. 30. v. ult. O montes cadite super nos! & petrae abscondite nos, à facie sedentis super thronum & c. Apoc. 6. v. ult.

Optimum est, ut idem faciamus, quod Rex ille, qui decem millibus militibus instructus, cum audiret, alium cum viginti millibus occurrere sibi, cui non parerat, legationem mittens, rogabat ea, quæ pacis sunt, Luc. 14. v. 31. Idem & nos faciamus, & quia scimus, Dominum Dominantium adversus nos expeditionem movere, qui aliàs Dominus fortis & Heros in præliò nominatur, Psal. 24. v. 8. humilitemur sub potenti manu ejus, 1. Petr. 5. v. 6. rogantes pacem, ne jute stricto nobiscum agat: quia non justificabitur in conspectu ejus omnis vivens, Psal. 143. v. 2. Job. 9. v. 3. Quilibet proindè verâ cordis devotione oret:

Remitte nobis debita,
Ne nos molestant crimina,
Nostrisque debitoribus,
Delicta condonabimus:
Servire cunctos nos juva,
In pace & in concordia.

DOMI.